

COMMENTARIA IN  
**PROVERBIA SALO-**  
**MONIS, IN QVIBVS VVLGATA**  
NOSTRA LECTIO SIC TRACTATVR

vt & diligens fiat collatio cum originali-  
bus, & literalis simul cum mysti-  
co sensus tradatur.

*Conscripta ab Reuerendo in Christo Patre ac Domino D. Cornelio Ian-  
senio, Episcopo Gandensi. Accesserunt ab eodem iam olim collecta,  
annotationes luculentissima in Librum Sapietiae Salomonis, nunc au-  
tem primum maxima cū studiosorum S.T. utilitate in vulgus edita.*



DVACI.

Ex officina Typographica Ioannis Bogardi, Bibliop. Iurat.  
Sub Biblijs Aureis, Anno 1577.

*Cum gratia & Privilegio ad Quadriennium. Sub sig. de Perre.*



*CPet*

*Col. No. 1000*  
*Cuerna*

*15*  
*1124*

AMPLISSIMO VIRO D. VIGLIO  
ZVVICHEMO, PRAEPOSITO GANDENSI


AD D. BAVONIS, SUPREMIQUE SENATUS

*Belgici Praesidis, & illustrissimi ordinis auri Velleris*

*Cancellario, D. suo benignissimo Corne-*  
*lii. Iansenius Hulstensis.*



ONSTAT Amplissime Domine Prae-  
ses in precio semper habitoseos qui gra-  
ues quasdam breuesque sententias, siue ad  
recte de rebus iudicandum, siue ad mores  
formandos vel verbo protulerunt, vel scri-  
pto ediderunt. Nec mirum, cum nihil vti-  
lius esse possit quam huiusmodi breuia elo-  
gia ob oculos semper habere proposita,  
quibus quid de quavis re sentiendum, quid quouis casu occur-  
rente faciendum sit, mox mens hominis admoneatur. Mirata  
est olim hoc nomine antiquitas Hesiodum, Theognidem, Pho-  
cilidem, ut omittamus septem illos Graeciae sapientes, ipsumque  
Socratem, qui praehis omnibus sapientissimus Apollinis ora-  
culo iudicatus est, quorum sapienter grauiusque dicta etiam  
hodie velut oracula quaedam suspicimus. Si autem non immeri-  
to istorum dicta & legimus & admiramur, multam eis vtili-  
tatem, multumque fructum inesse non dubitantes, multo sane ma-  
gis nostri nobis Salomonis vere diuina oracula sunt requirenda,  
expedenda, ac menti imprimenda, qui non Apollinis, sed Dei Opt.  
Max. oraculo sapientissimus pronuntiatus est, non tantum eorum qui  
cum ipso vixerunt mortaliu, sed & omnium quotquot vel fuerunt  
vel futuri sunt. Dedi enim inquit, tibi cor sapiens & intelligens, in-  
tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus  
sit. Cuius sapientia non tantum ipsa magnitudine, illorum longe su-  
perat sapientiam, sed & generis sui praestantia. Est enim & di-  
uersi & praestantioris generis. Illorum enim sapientia in na-  
turali rectae rationis iudicio (quod in eis minus quam in alijs  
hominibus erat corruptum) constituta fuit. Huius vero no-  
stri Philosophi sapientia, ex lege diuina, quae certissima omnium



COMMENTARIA IN PROVER-  
BIA SALOMONIS.  
CAPVT PRIMVM.

**P**arabola Salomonis filij David, Regis Israël: ad sciendam sapientiam & di-  
sciplinam, ad intelligendum verba prudentia, & suscipiendam eruditionem  
doctrinae, iustitiam & iudicium & aequitatem, ut docet parulis astutia adoles-  
centi scientia & intellectus.



**H**ACTENVS pendet sententia, comprehen-  
dens titulū simul cū propositione, & fructuum  
insinuatione. Titulus est Parabola Salomonis,  
filij David, Regis Israël, quae Hebræorum more  
coheret cum reliquo contextu. **N**omen Para-  
bolę libri materiam indicat. Circa quod nomē  
notandum apud nos librum hunc duobus vo-  
cari nominibus. Parabolę scilicet & Prouerbia.

**N**omen Parabolaę respondet nomini Hebraico מִסְלֵה מִסְלֵה Misle, quod pro-  
prie significat similitudines, sicut & nomen Parabolaę, quod Græcum est  
ἀπαροιμία, quod est comparo. Nomen Prouerbij respondet di-  
ctioni Græcæ παροιμία, quam hoc loco verterunt 70. quamuis proprie  
non sit idem Paræmia vel Prouerbum, & Parabola, vel ἄψυ Misle. Si-  
quidem Parabolaę dicuntur similitudines vel similia, cum scilicet vnum  
alteri expressē comparatur, vel cum vnum sub altero propter similitu-  
dinem insinuat, quemadmodū obseruare est in Parabolis Euangeli-  
cis. Paræmia verò vel Prouerbum proprie est quod Adagium dicimus.  
Commune scilicet & antiquum aliquod dictum, & sententia, quę in ore  
omnium versatur, quemadmodum & D. Basilius annotauit scribens in Basilius.  
initium istud Prouerbiorum. Veruntamen dictiones istę sepe in scriptu-  
ris confunduntur, & nomen Parabolaę pro Paræmijs, & nomē Paræmia  
pro Parabolis saepe accipitur, & vtrunque etiam extra propriam suam  
significationem. Nam apud Ioannem dicitur, Hoc Prouerbum dixit eis Ioan. 10.  
Iesus. Vbi prouerbum, & ut est Græcis paræmia, accipitur pro parabolico  
sermone, quo prius vsus est dominus. Similiter & Ioannis 16. Hęc in  
Prouerbij locutus sum vobis, venit hora cum iam non loquar in pro-

B

uerbjs

# ANNOTATIONES IN

LIBRVM SAPIENTIÆ SALOMONIS:  
IN QVIBVS BREVITER, ET GENVINVS  
LITERÆ SENSVS, ET GERMANA LECTIO,  
EX DILIGENTI COLLATIONE GRAECI EXEMPLARIS.  
Et manu scriptorum codicum, Theologorumque veterum auctori-  
tate, ostenditur.

CONSCRIPTÆ AB REVERENDO IN  
Christo Patre ac Domino D. Cornelio Iansenio, Episcopo  
Gandensi: & nunc primum in lucem editæ.



D V A C I,  
Ex officina Ioannis Bogardi, Typograph. iurat.  
Sub Biblijs aureis.

ANNO M. D. LXXVII.

ANNOTATIONES IN LIBRUM  
SAPIENTIAE.

CAPVT PRIMVM.



**D**ILIGITE *iustitiam*: Quoniam fons sapientiae est iustitia; ac ea demum est sapientia vera, viuere iuste; ideo sapientiam docturus hic author à iustitia diligenda orditur: quae cum omnibus sit diligenda, maxime tamen iudicibus terrae; ad quos praecipue scribit hunc librum vt patet cap. 6. Porro qui iudicatis terram positum est pro iudices terrae; & per iudices terrae designantur rectores populi, à praecipuo illorum officio, quod est iudicare, & iustitiam administrare.

*Sentite de Domino in bonitate*: Bene post dilectionem iustitiae Sapiens imprimis duo haec Deum concernentia congruo ordine requirit. Ante omnia enim opus est vt quis rectam de Deo obtineat sententiam, tum vt quis eum recte cognitum recte quærat. *In bonitate sentire de Deo*, Hebraica phrasi dictum est pro bene sentire de eo. Sic *in simplicitate cordis* dictum est pro simplici corde. Non sentiunt autem de Domino in bonitate, qui vel de eius potentia vel benignitate non recte sentiunt, existimantes eum vel non satis potentem, vel non satis benignum. Vnde subiicit, *In simplicitate cordis querite illum*. Porro *querere Deum* dupliciter accipi potest. Quæritur enim dum precibus inuocatur eius auxilium: quod simplici corde fieri debet. Nimirum firma fiducia de Dei potentia & bonitate: quomodo qui Deum non orat Iacobus duplicem animo dicit, quod partim fidat, partim diffidat. Quæritur item operibus, dum per ea illi placere volumus: quod rursus simplici corde fieri debet: hoc est sine omni fictione & hypocrisi. Prior autem intelligentia magis conuenit sequentibus. Sequitur enim, *Inuenitur autem ab his qui non tentant eum*. Tentant enim Deum qui diffidentes de Dei potentia & bonitate petunt earum declarationem & ostensionem.

*Apparet autem his qui fidem habent in illum*: Græcè est ἐμφανίζεται δι τοῖς μὴ ἀπειθοῦσιν αὐτῷ, id est, & apparet his qui non diffidunt illi. Sic enim melius respondet illi quod praecedit, *his qui non tentant illum*. Non autem bene conuenit praesenti loco coniunctio, *autem*; quoniam nulla est sententiarum inter se diuersitas: vnde tantum coniunctiuè accipi debet.

*Probata autem virtus corripit insipientes*: Non est hic ἀρετή, id est virtus, quae opponitur vitio, sed δύναμις hoc est fortitudo, potētia. Est ergo sensus virtus Dei bene probata, & spectata multis potētiae suae factis corripit insipientes: quia eos punit & vindicat aut arguit insipientes. hoc est declarat eorum insipientiam, qua de ipso Deo eiusque potentia male sen-